DEO Opt. Max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & Sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 9. Decembris (1666) Liez 1366

M. ALEXANDRO MICHAELE DENYAU, Conſiliario, Lectore & Profeſſore Regio, Doctore Medico, Moderatore.

Vtrum in acutis Febribus neceſſe ſit εὔροα ποιέειν?

FEBRIUM Scientia adeò utilis, ut quemvis humanæ vitæ amantiſſimum, velut admotis quibuſdam igniculis, poſſit ad eam conſequendam excitare. Si enim certitudo ſpectetur, illarum cognitio & praxis omnium eſt conſtantiſſima. Tactu enim omnium æquiſſimo judice cognoſcuntur & judicantur. Nullus, mehercule, Morbus eſt, qui frequentiùs noſtra corpora infeſtare ſoleat, quàm ipſa Febris. Pauci ſunt Morbi, quos vel non præcedat, vel comitetur, vel ſequatur: ita ut vulgari effato pronuntiari ſoleat, Neminem, licèt violentâ morte raptum, mori ſine Febre. Hæc naturis, ætatibus & temporibus omnibus communis, ut viris, mulieribus, pueris, ſenioribus, robuſtiſſimis, tenerioribus, æſtate, hyeme & aliis. Febris Πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρὸς, vitæ arcem invadit, oppugnat & expugnat, & innumeros homines è vivis eripit propter aëris & diætæ vitium. Ut enim inter primas qualitates calor eſt actuoſiſſimus, ſic Febris, cujus cauſa communis & proxima eſt calor παρὰ φύσιν, in corde accenſus actiones lædens. Omnes Morbi partem unam vel alteram, vel plures tantùm obſident, ad aliquod temporis intervallum, priùſquam univerſam partibus (ut Febris) noxam inferant. Febres tamen omnes εὔροιαν non expoſtulant. Cor non ſanguinis principium & officina; ſed ut ſubjectum Febris triplici ſuâ ſubſtantiâ, tria Febrium genera conſtituit, (Τὰ ἴσχοντα, ἰσχόμενα, καὶ ὁρμῶντα) Ephemeræ nulla εὔροια, ob temporis brevitatem & ſpirituum ſubtilitatem. Humorali procuranda. Hectica ἀνέλπιστος καὶ ἀνίατος, dum nigro humore ſqualent viſcera, nec ſalutaris fluxibilitatis ſpem portendit. Humoralis, vel eſt continua, vel intermittens. Illa benigna, aut σύνοχος in qua omnes humores æqualiter putrent; aut συνεχὴς in qua unus humor putret ſupra reliquos. Maligna etiam eſt continua ob peculiarem putredinem, ut in peſtilenti, petechiali, variolis & morbillis, in quibus etiam εὔροια promovetur. Intermittens humoralis diverſos curandi modos exoptat, ſicut Quotidiana pituitæ, Tertiana bilis, Quartana ſucci melancholici ſoboles, ob contumaciam & pervicaciam variorum humorum; ut diſpoſitione à medicamentis in corpus inductâ, ſecuriùs fiat diſcuſſio, attenuatio, inciſio, venarum, arteriarum, nervorum, ductuúmque Lymphaticorum dilatatio, proindèque ſalubrior catharſis, ſivè ἄνω, ſivè κάτω.

COmplicantur Febres triplici modo. 1° Toto genere diverſæ, ut hectica cum putridâ; continua cum ephemerâ; putrida cum continuâ & intermittente. 2° Specie diverſæ, quæ genere proximo conveniunt; ſpecie autem differunt, ut Tertiana intermittens cum Quotidianâ intermittente, Tertiana intermittens cum Quartanâ intermittente, Quotidiana intermittens cum Quartanâ intermittente, Quotidiana intermittens cum Tertianâ intermittente. Aliæ ſunt Febres, quæ genere remoto conveniunt; proximo verò differunt, ut continuæ cum intermittentibus: Idque vel ſimiles cum ſimilibus, ut Tertiana continua cum intermittente; vel diverſæ cum diverſis, ut tertiana intermittens cum quotidianâ continuâ, quotidiana intermittens cum tertianâ continuâ, quæ complicatio dicitur hæmitriteos. 3° Tandem ſunt Febres ejuſdem naturæ, ut duplex quotidiana, duplex & triplex tertiana, duplex & triplex quartana; exceptâ hecticâ, propter quam manant viſcera tabo, omnibus aliis Febribus, licèt chronicis εὔροια, bona diſpoſitio ad purgationem, ad evacuationem humoris morbifici propenſio, convenit maximè. Graviter errant & hallucinantur qui kinamkinam diſcutiens & attenuans pharmacum proponunt, cum tutò non poſſit exhiberi ante purgationem, adeò ſanguineæ maſſæ infenſum ut eam coagulet, & Ἀναστομώσιν τῶν φλέβων καὶ τοῦ αἵματος acceleret. Pejus egit qui ejus virus opiô adaugendo, multa experimenta per mortes civium impunè fecit. Exclamandum, ô tempora! ô mores! Non Libris, non doctrinâ, non praxi, non probitate, ſed audaciâ, multiloquio, muliebri ambitu, luxu, eminente patrono opus eſt, quamquam ſit ſtipitis & trunci inſtar fictilis Doctor. Sobriè utendum hoc remedio, aut potiùs ab ipſo abſtinendum: Et licèt frequenter quibuſdam ægrotantibus concedatur, tamen pro natura ipſius Febris non ſolvitur paroxyſmus, ſicut in complicatis ſupradictis. Tempus Medicus eſt optimus, cum laudabili victûs regimine & frequenti leviori catharſi, quæ tandem obſtructiones reſolvit. Econtra verò uſu corticis Peruviani concreſcit ſanguis, ſcirrhi hepatis, lienis, meſenterii, pancreatis, hydropes ſuperveniunt. Nullus tandem eſt qui Febre intermittente laborans, non debeat intra quadraginta dies ſanari, modò à prudente Medico regatur. Exſibilandi Acetarii illi ſcioli, qui Acidum & Alkali cauſas & curationes morborum ſtatuunt. Pro diverſitate Febrium, diverſa eſſent Acida, quibus kinakina facere ſatis non poſſet, quod experimentis Quartanarum triennalium confirmatur.

CEleberrimum divini Senis Decretum eſt (Τὰ σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν) Ita & eorum qui Febribus acutis laborant, neceſſe eſt fluida facere, quamquam ſua celeriter percurrant tempora & cum vitæ diſcrimine: quare remedia quæ purgationem ſaluberrimam præſtant, debent adminiſtrari à Medico purgationem ex arte inſtituente, ſecundum ἐνδείξεις, ut præparentur humores. Quemadmodum in omnibus ferè morbis; ita in acutis humorum purgandorum, ſi craſſi fuerint, attenuatio, ſi viſcidi, deterſio & inciſio, ductuum ac meatuum, per quos facienda eſt purgatio, ſi fuerint anguſti, ampliatio, ſi occluſi, apertio, purgationem maximè utilem, facilemque efficiunt. Sæpe redundans vitioſus ſuccus exiguis canalibus per quos expelli debet, craſſior ac viſcoſior obhæret; quare ab ipſa natura expurgari nequit, niſi canalium oſtia, per quos debet purgatio fieri, reſerentur: tenuitas & viſcoſitas ejus quod debet evacuari, incidatur. Si quis, inquit Galenus, diſcutiat, extenuet atque incidat craſſos & tenaces humores, qui in corpore continentur; ſi meatus per quos iſti humores tranſmittuntur ac trahuntur à medicamentis quæ vim purgandi habent (non electione ſed irritatione) aperiantur, in omnibus rectè purgatio procedet. Sive enim per alvum, ſive per ventriculum, aliamve corporis regionem, purgare quis voluerit, humoribus nondum diffluentibus redditis, ægrè, moleſtèque eveniet purgationis exitus, cum ventris torſionibus, vertiginibus, pulsûs depravatione & animi deliquio, ἀσφυξία. Econtrà fluidum ſi totum corpus effeceris, optimè purgabis. Expurgatio fit tractis humoribus vi medicamentorum; eòque faciliùs trahuntur, quò ſunt tenuiores, nam eò etiam ſunt fluidiores. Craſſities enim ſemper officit, tenuitas nunquam nocet, etſi ſuccus evacuando ſit tenuiſſimus: Neque enim tenues humores, ut aquoſos & bilioſos, ante purgationem craſſiores efficiendos eſſe, cum Avicenna ſentio, qui humores tunc optimè ad expulſionem præparari cenſet, cum reducuntur ad mediocritatem ſubſtantiæ. Pulmonibus contenta materia ſuprà modum tenuis, ut ſerum, impellentis ſpiritûs vi, tuſſiendo non facilè in aſperam arteriam ſuſtolli, exſcrearique poteſt: In ventre continenter præparato humor etiam tenuiſſimus ex facili foràs fœliciter protruditur. A ventre naturalis actio, à pectore fit animalis, auxilio muſculorum πτερύγας τῶν πνευμόνων moventium. Si tamen plus æquò incaluerit humor, ſemper ei, ante purgationem, frænanda acrimonia.

LIcèt tenuis humor coctione aliquando craſceſcat, atque etiam tum coctus ad evacuationem ſit apparatior, hâc tamen de causâ non debet Medicus naturæ imitator, eum ante purgationem, craſſiorem efficere: neque enim is & natura propter eoſdem fines operantur, ſed longè diverſos. Præparat Medicus quò evacuet, natura quò retineat & ſibi commodum alimentum efficiat. Natura ſiquidem quidquid coquit, curat ſibi ſimile reddere, quod ſemper conſequi non poteſt, propter ineptitudinem materiæ quam commutat. Ipſa natura deſiſtens à commutatione ad expulſionem convertitur, proindèque humorum concoctionem nunquam natura evacuantibus adminiculatur; quoniam illa eo tempore aliò intendit, nempè ut ſuccum in propriam ſui ſubſtantiam convertat. Medicus & natura propter contrarios uſus operantur: Naturâ craſſitudinem inducente, Medico attenuante. Non enim quod craſceſcat, idcircò coquitur; neque coctus idcircò purgationi aptior: ſed quod ſit à cæteris humoribus ſecretus, eumque prorſus evacuare contendat. Coctionem ſequitur ſecretio, ſecretionem expulſio; quò igitur tenuior eò ad effluendum aptior. Præparatio & coctio maximè inter ſe differunt. Coctio à nativo calore, non arte: Præparatio εὔροια ab arte pluſquàm à natura, quia detergentibus, incidentibus medicamentis expeditur obſtructio, ἔμφραξις, humorque attenuatur; aſt non plenè concoquitur. Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ, τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ. Præparatum humorem non licet ſemper exquiſitè purgare, concoctum licet excernere, cum viæ patent. In corpore quiſquis peccat humor tenuis & fluidus, ſicut in acutis Morbis turget ſtatim, initio, ne partem nobilem invadat, nullâ præparatione, è quâvis regione corporis detrahendus. Si verò parti cuipiam is firmus inhæſerit, vix niſi deterſus & coctus trahenti cedit medicamento. Craſſus verò & glutinoſus humor non facilè per anguſtas vias profluit in alvum; imò nonniſi vi & perturbatione, vel è patenti corpore deduci poteſt. Corpus purgandum εὔροον ἔσω, id eſt, patens nec impeditum. Verùm ut tùm corporis, cùm humorum εὔροια magis ac magis eluceſcat, etiam in flavæ bilis redundantia, ſaltem ſi ea non turgeat, præparationem ante ejus expurgationem, ut ea citiùs & faciliùs è corpore educatur, convenire demonſtratur.

COrpus poteſt fluidum reddi, vel humoribus extenuatis & abſterſis, vel omnibus meatibus reſeratis: At inciſio & extenuatio ſuccis lentis competit, non bili tenui convenit, ſed canalium dilatatio, ubi ea non turget. Medicorum facilè Princeps Galenus jubet ſingularium partium meatus præparare, qui ad ſupervacuorum emiſſionem ſunt proprii. Si materia turget in acutis Morbis, Medicus poteſt arripere occaſionem primis diebus corpora præparandi, priùſquam uſurus ſit medicamento purgante, quibus in morbis, ob temporis anguſtiam, morborùmque pravitatem, ſaltem hæc facultas præparandi vix datur, imò nec concoquendi, licèt ſit Medici prudens indicatio, etiam in peracutis (ἐναντία ἐναντίων ἰάματα) Morbo organico, qui obſtructio eſt, contraria eſt apertio ſeu reſeratio: Obſtructionem pariunt tùm humorum craſſities, cùm abundantia. Sequitur flavæ bilis redundantiam obſtructiones parientem, viarum reſerationibus (tanquàm legitima præparatione) indigere: Præſertim ſi ejus non tanta ſit copia ut ſtatim circa initia Medicum ipſam evacuare cogat. Si ea non turget, ante purgationem debet concoqui, quia ea evicta ac permutata à calido innato, faciliùs educitur. Procul dubio ſtatuendum eſt vias ac meatus per quos tranſmittenda eſt & à medicamentis trahenda, reſerandos eſſe; cum corpora quævis ante purgationem fluida eſſe efficienda generatim decernat divinus Senex; non verò concoquendos eſſe ante purgationem humores, cum humoris orgaſmum ſemper à pepaſmo excluſerit. Sat fuerit in acutis & malignis Febribus neceſſariam eſſe corporis & humorum εὔροιαν, ex ipſius κακοηθείας natura, quoniam malignitas tota dependet ab inſigni, quæ putredinem efficit ac fovet obſtructionis contumaciâ, & Febris indomitâ pertinaciâ, utpote quæ nihil eſt aliud quàm intenſior quædam putredo. Conſtat autem non poſſe tolli Morbum, niſi ſublatâ priùs illius causâ; quæ ecphracticis vaſorum, partium, humorum reſerationem maximam non alternatim expoſtulat. Sic præparatur corpus morboſum clyſteribus, venæ ſectione, ἡγεμονικῷ præſidio quo plethora minuitur, incendium extinguitur, humor accenſus contemperatur, & pepaſmum minori negotio conſequitur. Procul Aſſerentes humores redditos tenuiores faciliùs in partes princ pes irruere; quia dum obſtructio manet invicta, vapores putres & maligni irrequieto motu ad cor & ad caput feruntur, ξύμπνοια μία, ξύρροια μία, ξυμπαθέα πάντα, illícque turbas excitant maximas, abſque ficto ſanguinis motu circulari. Si verò obſtructio ſolvi ſenſim incipiat, vapores qui indè efflantur, minùs maligni ſunt imminutô aliquantùm calore σηπεδονώδει per ventilationem; tunc humores liquidiores redditi fæcis partem deponunt, quæ illos efficiebat acriores, eamque in partem aliquam ignobilem natura tranſmittit, atque tunc illi vias obſtructas latiores, patentiores, liberioreſque reddunt, quia liberiori quæ putredinem ex intimis viſceribus arcet ac evocat tranſpiratione, διαφορέσει, perfruuntur. Victus ratione tenui & exquiſitâ humectante, Αἱ λεπταὶ, καὶ ἀκριβέες δίαιται, phlebotomiâ, catharticis, cardiacis, ſudorificis, diureticis, emeticis ſolvuntur Febres acutæ, pro varia corporis diſpoſitione διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων, adminiſtratis confectionibus de Hyacintho, Alchermes, Theriacâ, ab omni ferè ævo laudatis. Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

Ergo in acutis Febribus neceſſe eſt εὔροα ποιέειν.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ioannes Boudin.
M. Guido Eraſmus Emmerez.
M. Michaël de Hodencq.
M. Antonius le Moine.
M. Carolus Marteau.
M. Pontius Maurin.
M. Ioannes Armandus de Mauvilain.
M. Bertinus Dieuxivoye, Decanus.
M. Stephanus Bachot.

Proponebat Pariſiis NICOLAUS BAILLY, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.